series eandem xpi dispensationem. In quinque mundi aetatibus perso-
rum facta uel dicta praefigurat. Et ideo quia xpi incarnatio uel sexta aeta-
te saecli futura uel ad implectionem legis erat profutura. Recte sexto mense
conceptionis iohannis missus ad mariam angelus nasciturum nuntiat salua-
torem, ut sequens ex ordine lectio demonstrat.

IN MENSE AUTEM SEXTO MISSUS EST ANGELUS GABRIHEL A DO
IN CIUITATEM GALILEE CUI NOMEN NAZARETH. +

I· Decet angelos priuatis nominibus censeri, ut signetur per uocabula
etiam in operatione quid ualeant. Neque enim in illa sancta ciuitate
quam de uisione di omnipotentis plena scientia perficit, idcirco propri-
a nomina sortiuntur, ne eorum personae sine nominibus sciri non pos-
sint. Sed cum ad nos aliquid ministraturi ueniunt, apud nos etiam
nomina a ministeriis trahunt. Ad mariam ergo uirginem gabrihel mit-
titur, qui dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare uenie-
bat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est.
De quo per psalmistam dicitur: Dns fortis et potens, dns potens in proelio.
Et rursum: Dns uirtutum ipse est rex gloriae. Per di ergo fortitu-
dinem nuntiandus erat, qui uirtutum dns et potens in proelio contra
II potestates aereas ad bella ueniebat. Mensem autem sextum martium
intellige, cuius uicesimo et quinto die dns nr conceptus traditur
et passus, sicut et uicesimo quinto die mensis decembris natus.
Quod si uel eo die, ut nonnulli arbitrantur, aequinoctium uernale,
et illo sol stitium brumale fieri credamus. Conuenit utique cum
lucis incremento concipi et nasci eum qui inluminat omnem hominem
uenientem in hunc mundum. At si quis ante dominicae natiuitatis
et conceptionis tempus lucem crescere, tenebras superare
conuicerit, dicimus et nos quia et iohannes tunc ante faciem
aduentus ei regnum caelorum euangelizabat, et nunc quoque
praedicatoribus imperatur: Iter facite ei qui ascendit super occasum.
Curauit iohannes circa aequinoctium autumnale conceptus.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_274_f129v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5280)